

synodi constitutio Nichenae, quae ita praecipit, ut eadem proprie verba ponamus, per unamquamque provinciam ius metropolitanos singulos habere debere nec cuiquam duas esse subiectas; quod illi, quia aliter credendum non est, servandum sancto spiritu suggerente sibimet censuerunt. Et Caelestinus dicit¹: Ut iuxta decreta canonum unaqueque provincia suo metropolitano contenta sit, ut decessoris nostri data ad Narbonensem episcopum continent constituta, nec usurpationi locus alicui sacerdoti in alterius concedatur iniuria. Sit concessis sibi contentus unusquisque limitibus; alter in alterius provincia nihil praesumat. Et Anthiocenum dicit² concilium: Ut nullus episcopus ex alia provincia audeat ad aliam transgredi, nisi litteris tam metropolitani quam ceterorum, qui cum eo sunt, episcoporum rogatus adveniat. Si vero nullo vocante inordinato more deproperet super aliquibus ordinationibus et ecclesiasticis negotiis ad eum non pertinentibus com-

- *f. 85. ponendis, *irrita quidem quae ab eo geruntur existant; ipse vero in-compositi motus sui et inrationabilis audaciae subeat ultionem ex hoc iam damnatus a sancto concilio. Et item³: Si quis autem tale aliquid facere praesumpserit, irrita sit eius ordinatio et ipse coerceatur a synodo. Nam si ordinare non potuerit, nullatenus iudicabit. Et sanctus Gregorius ad Augustinum Anglorum archiepiscopum in decretis suis dicit⁴: Quia scriptum est in lege: 'Per alienam messem transiens falcem mittere non debet, sed manu spicas conterere'; falcem enim iudicii mittere non potes in ea segete, quae alteri videtur esse commissa. Et item Anthiocenum concilium dicit⁵: Si quis episcopus de certis criminibus accusatus condempnetur ab omnibus eiusdem provinciae episcopis cunctique consonanter eandem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullomodo iudicari, sed firmam concordantium episcoporum provinciae manere sententiam. Et Sardicensis canones dicunt⁶: Ut si aliquis episcopus iudicatus fuerit
- *f. 85'. in aliqua causa et putat se bonam causam habere, *ut iterum concilium renovetur, si vobis placet, sancti Petri apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinerunt, Iulio Romano episcopo, et, si iudicaverit renovandum esse iudicium, renovetur, et det iudices; si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea, quae acta sunt, quae decreverit confirmata erunt. Non enim alterius civitatis episcopo ex hoc aut honorem deferre aut scribere iubent canones nisi Romano pontifici.

¹) MIGNÉ 67, 276 c. 17; HINSCHIUS S. 560 c. 4 (J-K, 369). ²) MIGNÉ 67, 162 c. 91. ³) MIGNÉ 67, 164 c. 100. ⁴) M.G. Epist. 2, 337 c. 7 (J-E. 1843). ⁵) MIGNÉ 67, 162 c. 93. ⁶) MIGNÉ 67, 177 c. 3.